



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. III. Responsio P. Thyrsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

N.
386.

originali conceptam; ait autem P. Moya, quod si hoc est illis probabilius, non poterunt colere Deiparam primo instanti creationis, & infusionis animæ in corpus ab originali præservatam, ut declarat Alex. VII. nam juxta eisdem illicitum est sequi minus probabilem. De cætero P. Moya magnâ cruditione jure merito asserit tom. 2. tr. 1. qu. 2. §. 2. certissimum sibi Deiparam sine labe conceptam, subdens, quod licet Alexander vetet, ne quis asserat, quod opinans Deiparam in peccato conceptam, sit Hæreticus, aut peccet mortaliter, non tamen vetat, ne quis ita sentiat. Hoc certum, quod sine peccato saltem veniali, non licet opinari minus piam. Vide P. Moyam loco citato n. 22. cui omnino subscribo, paratus ipsâ sanguinis effusione hoc Deiparæ privilegium tueri; & me d. 2. n. 130.

§. III.

Responsio P. Thyrsi.

SUMMARIUM.

Docet Hæreticum assentiri suo objecto, tamquam certo, quia nullus Hæreticus putat se Hæreticum, n. 388.
Docet, quod DD. Catholici suis opinionibus assentiuntur cum formidine; Hæretici, sine ulla, suis erroribus, n. 389.
Docet, quod si nostra fides proponeretur Hæretico, ut credibilior, & sui errores, ut incredibiles, non posset his assentiri, n. 390.
Docet omnem Hæreticum rogatum, cur sua secta adhareat, disturum, quia ea proponitur, ut certa, & nostra fides, ut falsa, n. 391.
Docet Hæreticum eo instanti, quo suos errores credit, non esse liberum amplecti nostram fidem, nec Catholicum, fidem Calvinî, num. 392. 393.
Docet quemlibet nostrâ motivâ penetrantem experiri, sibi impossibile esse dissentiri, & credere falsum, n. 394.
Docet actum fidei non esse immediatè liberum quoad specificationem, sed tantum quoad exercitium, n. 395.
Assignat discrimen, quod actus scientia est tantum liber quoad usum; actus fidei quoad usum, & exercitium, n. 396.
Ait judicium temerarium niti indicij judicanti gravibus, etsi ex passione, n. 397.
An suspicio sit peccatum grave, ex S. Thom. n. 398.
Docet judicium temerarium stare in certo judicio de malitiâ proximi, mixto indicij ex se levibus, sed ex passione gravibus, n. 399.
Docet, quod si temerè judicans cognosceret levi-

tatem fundamenti, eodem instanti inferret, & resarciret injuriam, n. 400.

Causa judicij temerarij ex S. Thom. n. 401.

Tota doctrina P. Thyrsi est suppositio sue conclusionis, n. 402.

Discrimen inter libertatem, quam P. Thyrs. & nos damus Catholico, & Hæretico, n. 403.

Falsum, quod Hæreticus non putet se Hæreticum; cur? n. 404.

Falsum, quod nostra ratio nimis probet, hic enim illud nimis est idem, ac magis, n. 405.

Falsum, quod si nostra fides est Hæretico evidenter credibilior, non poterit assentiri sue; cur? n. 406.

Certitudo, una est purè affectiva, & hæc convenit Hæretico; alia intellectnalis, n. 407.

Propria secta est Hæretico imprudenter credibilis, & prudenter incredibilis, n. 408.

Ut alijs virtutibus, ita fidei convenit libertas immediata contrarietatis, imò careret etiam libertate immediata contradictionis, fuscâ à n. 409. ad 412.

Rationes ex duplici damnatâ ab Imoc. ibid.

Hæretico tantum abest, ut sua secta videatur credibilior, quin experientia docuit me oppositum, n. 413. 414.

Idem ex S. Thom. n. 415.

Hæreticus erit necessario Hæreticus, & Catholicus necessario Catholicus, n. 416.

Falsum, quod Hæreticus careat potentiâ proximâ credendi nostram fidem, n. 417.

Confunditur evidentia credibilitatis, quæ datur, cum evidentiâ locutionis, quæ non datur, n. 418.

Certitudo fidei unde, ibid.

Si fides non est libera libertate contrarietatis immediatâ, nec contradictionis, & nemo credendo meretur, n. 419.

Non dabitur judicium temerarium, nec peccatum formale judicij temerarij, nec in se erit peccatum, sed tota temeritas erit in passione, n. 421. 422. 423.

S. Thom. omnino contrariatur, n. 424.

Potest intellectus certitudine affectivâ tenere pro certo aliquid ex levibus indicij, & firmè assentiri firmitate affectivâ minus verisimili, n. 425.

Falsum, quod cognoscens se temerè judicare, resarciat injuriam, n. 426.

Assignanda est malitia formalis judicij temerarij distincta à passione, à quâ oritur, num. 427.

S. Thom. est contra P. Thyrsium, nam ait, opinatur ex levibus, n. 428.

Contradictio P. Thyrsi, n. 429.

L Audatus Doctor disp. 3. à n. 21. nostras paritates ex peccato infidelitatis, & judicij

dicij temerarij, quibus putamus evidenter probari intellectum posse ex voluntatis imperio assentiri minus probabili, stante opposito evidenter probabiliori, immò unice prudenter credibili, & probabili, enervare contendit.

N. Itaque ait 1. n. 22. nostro argumento nimis probari; Hæreticus enim non assentitur suis erroribus, tamquam objecto minus verisimili, quam fides Catholica, sed tamquam objecto apud se omnino fixo, & certo; nullus enim Hæreticus putat se esse Hæreticum, quin putat se defendere veritatem infallibilem; aliter enim suis erroribus assentitur, ac Doctor Catholicus assentitur conclusioni inter DD. controversæ; iste enim assentitur cum formidine oppositi, nec ejus assensus est in ejus exultatione omnino firmus: ergo nimis probat argumentum, quia probat, quod Doctor assentitur suæ opinioni sine formidine, quo modo Hæreticus suo errori sine illâ. Confirmat n. 23. Si quoties Hæreticus peccat peccato hæresis, mysteria nostræ fidei essent illi internè satis propòsita, ita ut illis assentiri teneretur; sequeretur, quod mysteria nostræ fidei proponerentur illi ut evidenter credibilia, adeoque haberet evidentiam credibilitatis, quod Deus esset Author eorum. Nam evidentia credibilitatis nostræ fidei non tantum est (ait n. 24.) evidentia probabilitatis, aut probabilitatis, qualis datur inter opiniones, sed est evidentia ita reddens prudenter credibilem nostræ fidei doctrinam, ut oppositam reddat incredibilem, & ideo inducit obligationem amplectendi ut veram nostræ fidei doctrinam, quam obligationem non induceret, si esset solum evidenter credibilis tamquam doctrina verisimilior contrariis doctrinis: ergo si quoties Hæreticus assentitur suis erroribus, & peccat peccato hæresis, nostræ fidei doctrina est illi proximè propòsita, non tantum cognoscit nostram doctrinam esse verisimiliorem proprijs dogmatibus, sed cognoscit esse unice tunc credibilem, & dignam fide certâ; & contra cognoscit incredibilia esse sua dogmata, quomodo his adhæret per assensum sibi omnino certum? Implicat enim, ut quis sine formidine credat firmiter objectum propòsitum sibi ut omnino incredibile, & rejiciat ut erroneum objectum propòsitum sibi ut dignum fide certâ: ergo nostrum argumentum nimis probat.

Hinc n. 25. ait Hæreticum eo instanti, quo suis erroribus pertinaciter adhæret, non habere potentiam proximam, ut assentiat nostræ fidei mysterijs, nec illa proponi illi

ut verisimiliora, & multò minùs, ut evidenter credibilia credibilitate inducente obligationem credendi; id autem oritur ex ejus malitiâ; quia, ut docet P. Valen. tom. 3. d. 1. communiter, qui fidem non admittunt ex malitiâ, aut affectu erga se, aut suos Magistros, impediuntur, & excæcantur, quò minùs possint motiva fidei perspicere, adeoque mirum non est, si evidentia de credibilitate nostræ fidei careant.

Confirmat 2. n. 26. quia nullus Hæreticus rogatus, cur potius suæ sectæ, quam nostræ fidei adhæreat, respondebit, se cognoscere, quod nostra fides sit evidenter credibilis, & longè verisimilior propriæ sectæ; se tamen velle intellectu amplecti suam sectam cognitam, ut minùs verisimilem: sed quilibet respondebit, idè se nolle nostram fidem amplecti, quia nostra fides proponitur sibi ut falsa; e contra propria secta proponitur sibi ut omnino certa; hoc tamen eos non excusat, quia ex eorum malitiâ provenit, quâ voluntariè oculos luci claudunt, quod non videant præminentiam credibilitatis nostræ fidei, quia mentem non applicant sincero motivorum nostræ fidei examini.

Ait 2. n. 27. ex S. Thomâ 2. 2. qu. 11. art. 1. probante, quod hæresis sit species peccati infidelitatis, & tamen idem S. Thom. 2. qu. 10. art. 1. in corp. ait, quod peccatum infidelitatis consistat in contrarietate ad fidem, quâ scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam: ergo non consistit in eo, quod cognita evidenti mysteriorum credibilitate, dissentiat illis adhærendo dogmati contrario; quia impossibile est, ut quis dissentiat objecto eo instanti, quo proponitur ut evidenter verisimilior opposito; & adhæreat tamquam certo, objecto opposito, proposito ut minùs verisimili. Et n. 28. ait: Fateor, quod Infidelis possit cognoscere evidentiam nostræ fidei credibilitatem, nec tamen eam amplecti ob malitiâ, aut ejus difficultatem, quia fidei motiva evidenter cognita, est obligent, non tamen cogunt ad assensum. Caterum subdit: Eo instanti non potest intellectualiter amplecti sectam contrariam, licet externè eam profiteretur, quia non potest quis credere ut certum, id, cujus oppositum cognoscit esse evidenter fide dignum.

Ait 3. n. 29. quod sicut Hæreticus eo instanti, quo suis erroribus pertinaciter adhæret, non habet potentiam proximam assentiendi nostræ fidei, ita nec Catholicus assentiens nostræ fidei sibi sufficienter propòsitæ, nequit eidem dissentiri, quia non potest actum fidei supernaturalis circa nostra mysteria elicere, nisi ei proponantur ut credibilia

bilia fide Divinā, seu certā, & infallibili, ut docet S. Thom. 2. 2. *qu. 1. art. 4. ad 2. & C. Caiet.* dicens, Nullus aliquid vere, hoc est, absque formidine alterius partis, & virtuosē, hoc est, prudenter, credit, nisi evidenter cognoscat illud esse credibile: & P. Ripald. *d. 6. n. 48.* C. de Lugo, P. Suar. & alij. Cum ergo quicumque credit fide Divinā nostrā mysteria, (ait *n. 31.*) habere debeat evidentiā de eorum credibilitate, sequitur, quod eo instanti non habuerit potestatem proximam antecedentem ad dissentiendum illis, quia implicat, ut intellectus evidenter cognoscens mysterium esse fide omnino certā credibile, non cognoscat idem esse evidenter verosimilius suo contrario; implicat autem, ut intellectus iudicet esse falsum id, quod suo opposito evidenter proponitur sibi ut verosimilius. Confirmat *n. 32.* quia homo penetrans credibilitatem nostrā fidei, experitur sibi impossibile eidem dissentiri, & credere falsum, nam evidenter cognoscit Deum esse authorem illius; implicat autem, ut corde sibi persuadeat falsam esse doctrinam, cuius Deus est Author: ergo Catholicus eo instanti, quo actum fidei elicit, non habet potestatem proximam ad dissentiendum eidem fidei ut falsę, & amplectendum errorem oppositum ut verum; quia implicat, ut quis amplectatur ut certum, quod evidenter cognoscit esse incredibile.

Hinc concludit, quod licet actus fidei sit liber, & necessario supponat affectum efficacem voluntatis determinantis intellectum ad eum eliciendum; non est tamen (ait *n. 33.*) immediatē liber quoad specificationem, quia non oritur ab intellectu proximē potentē ex voluntatis imperio elicere dissentium oppositum; sed tantum quoad exercitium, quia voluntas potest suspendere illum assensum; etsi enim mysteria nostrā fidei sint evidenter credibilia, sunt tamen difficilia, & obscura, & ideo non rapiunt intellectum ad assensum. Ita S. Thomam 2. 2. *qu. 2. art. 9. & 10.* docentem actum fidei esse vitę eternę meritorium, intelligendum putat, quatenus scientia est tantum libera quoad usum, quia habitibus utimur, cum volumus, & est in voluntatis potestate applicare intellectum ad considerationem rei scite: eā tamen suppositā consideratione, non est in potestate voluntatis continere assensum, quia principia demonstrationis actu considerata cogunt intellectum ad assensum conclusionis. At fides est libera quantum ad usum, & quantum ad assensum, quia non tantum est liberum voluntati applicare intellectum ad consideranda motiva credibilitatis, quę reddunt evi-

denter credibile mysterium ex se obscurum, sed etiam est liberum voluntati post hanc considerationem imperare assensum, vel non imperare assensum circa mysterium. Hęc sunt, quę trahit contra paritatem sumptam ex peccato infidelitatis.

Alteram paritatem ex iudicio temerario impugnat 1. quia iudicium temerarium (ait *n. 35.*) non nititur indicij levibus, immo gravibus in existimatione iudicantis; licet enim ea indicia sint re ipsā levia, attamen in intellectu iudicantis sunt gravia, & ratione passionis, odij, vel invidię proponuntur N. tamquam graviora. Neque hoc est operosum ostendere ex S. Thom. 2. 2. *qu. 60. art. 3. PT. II.* distinguente tres gradus iudicij temerarij, S. Tho. Primus est suspicio, cum malē dubito de fama alicujus ob levia indicia; secundus, cum aliquis pro certo malitiam alicujus æstimat ex levibus indicij, & hoc est mortale, si sit de re gravi; tertius, cum iudex ex suspitione descendit ad condemnandum. Porro omisissis, quę tradit de suspitione, an sit mortale, & quomodo differat a dubitatione, & opinione, ait *n. 43.* Iudicium temerarium, N. quod extra controversiam est mortale, tunc 398. intervenit, quando quis ex levibus indicij pro certo credit malitiam gravem alicujus, id est, quando ex firmā, & certā sententiā apud se iudicat proximum graviter deliquisse; sed implicat, quod hoc iudicium temerarium sit assensus partis minus verisimilis cognitę ut talis ab ipso iudicante; licet enim intellectus ex imperio voluntatis possit assentiri parti minus verisimili, implicat tamen, ut illi assentiat per assensum firmum, cum evidenter repugnet, ut quis pro certo habeat id, cuius oppositum cognoscit esse verosimilius: ergo iudicium temerarium, quod est peccatum mortale, procedit quidem ex fundamento re ipsā levi, non tamen cognito a iudicante ut levi. Advertens enim se non habere nisi leve fundamentum, ut malē iudicet, & simul advertens saltem exercitē se habere fundamentum longē gravius, ut bonē iudicet, implicat, ut itante hęc advertentiā, possit formare iudicium certum de malitiā proximi; nam ad summū suspicabitur cum grandi formidine oppositum ergo ut formet iudicium temerarium certum de malitiā proximi, debet fundamentum pro malitiā esse verosimilius fundamento de non malitiā proximi.

Confirmat *n. 42.* Si ad temerē iudicandum necesse esset, ut pro priori ad iudicium cognosceret levitatem fundamenti, sequeretur, quod temerē iudicans eodem instanti inferret injuriam proximo, & eam refarciret; cognos-

cognoscens enim suum fundamentum esse leve, eo ipso cognosceret se sine fundamento malum judicare de proximo, adeoque sui iudicii levitatem fateretur: ergo sicut per iudicium temerarium auferret honorem, ita per iudicium, quo sui iudicii temerarij levitatem cognoscit, redderet honorem proximo: ergo implicat, ut pro priori ad iudicium temerarium detur iudicium de levitate fundamenti. Quare temeritas stat in hoc, (ait n. 43.) quod dum ex passione iræ ex. gr. proponitur mihi valde verisimile, quod proximus sit malus, cum deberem scire fundamentum, quod mihi videtur grave, esse re ipsa leve, fero contra proximum iudicium, quod sit malus. Hoc ait docuisse S. Thomam 2. 2. qu. 60. art. 3. ubi assignans causas, cur ex levibus indicij aliqvis de proximo finitèr iudicet, hæc habet S. Thomas: *Uno quidem modo contingit ex hoc, quod aliquis ex se ipso malus est, & ex hoc ipso quasi conscius suæ malitiæ facilius de alijs malum opinatur secundum illud Ecclesiæ. In via stultus ambulans, cum sit ipse insipiens, omnes stultos æstimat. Alio modo provenit ex hoc, quod aliquis male afficitur ad alterum: cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, vel irascitur, vel invidet ei ex levibus signis, opinatur mala de ipso, quia nullusquisque facilius credit, quod appetit: ergo nullum est argumentum inferre ex iudicio temerario, quod intellectus possit ex imperio voluntatis assentiri minus verisimili; nam temerè iudicans, vel unicè attendit ad levia fundamenta avertens oculos à motivis impellentibus ad iudicium prudens; vel si ad utriusque iudicij motiva attendit, motivum iudicij temerarij apparet longè verisimilius; nam repugnat, ut quis pro certo habeat unam partem, ut accidit in iudicante temerè, si opposita apparet evidenter verisimilior. Hæc P. Thyrsus.*

Sed tantum abest, ut hæc doctrina infirmet nostras paritates, quin confirmat; & ipsæ solutiones, quas P. Thyrsus dat, non sunt nisi petitio principij. Ex eo enim, quod supponat ut verum, quod intellectus non possit physicè assentiri objecto minus verisimili, negat Infidelem, dum assentitur suo errori, assentiri illi proposito ut minus verisimili; immo vult, quod hæresis illi tunc proponatur, ut longè verisimilior. Rursus negat dari in Catholico potentiam proximam ad credendum verum, & falsum scorsim; sed tantum vult dari in Catholico potentiam proximam ad credendum verum, & non credendum verum; & in Hæretico vult dari tantum potentiam proximam ad credendum falsum, & non credendum falsum; non autem

Tom. I.

ad credendum verum. Breviter: concedit in Catholico libertatem contradictionis ad verum, & non verum; negat autem contrarietatis ad verum, & falsum: & in Hæretico concedit tantum libertatem contradictionis ad falsum, & non falsum; negat autem contrarietatis ad falsum, & verum. Ob eandem hypothese[m] quod intellectus nec physicè possit assentiri minus verisimili, negat iudicium temerarium niti levibus indicij cognitis ut levibus, sed levibus cognitis ut longè gravioribus indicij oppositis pro iudicio prudenti de non malitia proximi: e contra nos assumimus ut verum, quod fides sit immediate libera non tantum libertate contradictionis ad verum, & non verum; ad falsum, & non falsum; ad assensum, & non assensum; ad dissensum, & non dissensum; sed etiam quod sit immediate libera libertate contrarietatis ad verum, & falsum; ad falsum, & verum; ad assensum, & dissensum; ad dissensum, & assensum; atque adeo eo instanti, quo Hæreticus assentitur suo errori, habeat potentiam proximam ad assentiendum articulo vero; & eo instanti, quo temerè iudicans temerè iudicat, habeat potentiam proximam ad iudicium prudens de non malitia proximi; & ita quidem ut eo instanti, quo Hæretico proponitur articulus falsus, proponatur ei, ut evidenter credibilior, articulus verus; & eo instanti, quo temerè iudicanti proponitur leve indicium pro malitia proximi, proponatur simul motivum longè probabilius pro non malitia: & ex his, quæ lumine naturæ videntur manifesta, nempe ex peccato infidelitatis, quo Infidelis liberè assentitur suæ hæresi propositæ ut parum verisimili, potens pro priori assentiri articulo vero proposito illi eodem instanti, ut unicè evidenter prudenter credibili, inferimus aliquid minus notum, nempe intellectum ex imperio voluntatis posse physicè assentiri objecto evidenter cognito ut minus verisimili, & prudenter incredibili. Quare nos ex verisimilibus inferimus ignotum; e contra P. Thyrsus ex ignoto procedit ad negandum notum. Ideo P. Munitissim. 6. P. Man. §. 12. n. 109. quamvis neget intellectum posse licitè assentiri minus credibili, concedit tamen posse physicè, & ait: Sic proculdubio intelligitur, & explicatur aptius culpa iudicij temerarij; & post pauca hæc habet: Si autem nec physicè, nec perversè id posset, non ita facile intelligitur quæ ratione temerariè iudicaret. Non enim temerariè iudicat, qui non iudicat: non autem iudicat, qui nec physicam habet potestatem assentiendi ex imperio malo voluntatis, in prædictis etiam

Gg

circum-

circumstantijs. Ecce quid de opinione negante intellectui potentiam physicam ad minus probabile, itante probabiliore, sentiat egregius Anti-Probabilista P. Munitia. Sed per partes impugnemus P. Thyrsi doctrinam.

N. 404. Falsum primò est, quòd nullus Hæreticus credat se esse Hæreticum, sed potius se dicere infallibiliter verum: falsum, inquam: ut enim peccator, dum peccat contra virtutes morales, cognoscit se peccare, & se eligere malum, etsi appareat bonum; ita à pari Hæreticus cognoscet se peccare, dum assentitur hæresi, cognoscit enim se dissentiri vero, etsi assentiatur falso apparenter vero. Contra 2. quia vel P. Thyrsius loquitur de Hæretico invincibiliter ignorante motiva pro evidenti credibilitate nostræ fidei; & hic casus non est ad rem, quia ille est Hæreticus materialiter, non formaliter, & voluntariè, de quo tantum loquimur; vel loquitur de Hæretico vincibiliter ignorante; hic autem, sive exercitè, sive signatè, dum suæ hæresi assentitur, cognoscit vel in causâ, vel in se suæ hæresis peccatum, & se peccare; ergo implicat, ut talis credat, nisi per vincibilem ignorantiam, se dicere infallibiliter verum, nam saltem in ignorantia cognoscit se dicere errorem.

N. 405. Falsum secundò, quòd nostrum argumentum nimis probet. Contra enim est 1. quia tantum abest, ut tò nimis enervet nostrum argumentum, quin illud nimis idem est, ac magis probat. Ratio est; quia tunc argumentum nimis vitiòse probat, quando probat esse verum id, quod negatur ut falsum: e contra si argumentum magis probet illud ipsum, ad quod trahitur, & non probet esse verum, quod negatur ut falsum, tunc nimis, sed virtuosè probat. Quare do P. Thyrsio, quòd Hæreticus assensu omnino firmo excludente omnem formidinem assentiat suo errori, non ita Doctor suæ opinioni; ex hoc ipso sequitur, quòd si Hæreticus articulo falso cognito ut evidenter incredibili prudenter, certâ, & firmâ fide assentitur, quanto magis poterit Doctor Catholicus assentiri per opinionem formidolosam objecto cognito ut minus probabili? Contra 2. quia retorasio in P. Thyrsium evidenter retorquetur: Do hæresim apparere Hæretico ut longè verisimiliorem articulo vero: (quod tamen est falsum) ecce Hæreticus juxta P. Thyrsium tantâ firmitate assentitur hæresi, ut nihil formidet de opposito: ergo etiam Theologus assentiens suæ opinioni, inter Catholicos controversâ, tamquam evidenter verisimiliori, tantâ firmitate as-

sentietur, ut nullam de opposito formidinem habeat; quod est manifestè falsum: ergo ejus retorasio evidenter retorquetur; ergo non est ad rem.

Falsum tertio, quòd si Hæretico, dum suo errori assentitur, proponatur fides nostra ut evidenter credibilior, repugnet, ut assentiat errori; non enim potest assentiri assensu omnino certo ipsi errori, si videt oppositum esse evidenter credibilem; & hæresim evidenter incredibilem. Contra enim est 1. quia duplex est certitudo, una intellectualis, & hæc sola est strictè certitudo; alia voluntatis, quæ dicitur affectiva. Hæreticus non assentitur suo errori assensu certo certitudine intellectuali ortâ tùm à lumine, quo objectum proponitur, tùm à principio supernaturali essentialiter connexo cū actu vero, qualis est fides Catholici; sed assentitur assensu certo certitudine tantum affectivâ ortâ à pertinaci voluntatis imperio. Contra 2. quia dum dicimus, quòd hæresis Hæretico benè instructo proponatur ut evidenter incredibilis, non dicimus proponi ut evidenter incredibilem fide imprudenti, sed fide prudenti, ita ut Hæreticus non possit suæ hæresi assentiri, nisi fide omnino imprudenti, atque adeo hæresis est illi credibilis fide imprudenti, & est incredibile fide prudenti.

Falsum quartò, quòd Hæreticus instanti, quo suo errori adheret, careat potentia proximâ ad assentiendum articulo vero, quia hæresis ei unice proponitur ut verisimilior, & vera fides ut falsa, adeo ut eo instanti Hæreticus non habeat obligationem credendi articulum verum. Sed contra 1. quia si hæc doctrina est vera, Hæreticus eo instanti teneretur sub culpâ mortali esse Hæreticus, adeoque omnis Hæreticus obligatus erit sub mortali credere suam hæresim. Sequela probatur: Ut enim Catholicus eo ipso quòd ei proponatur evidenter unice credibilis articulus verus, tenetur illum credere, aut saltem non credere oppositum, ut certum est; ita à pari quoties Hæretico articulus falsus proponatur ut unice credibilis, vel saltem ut longè credibilior articulo vero, tenebitur eum articulum falsum credere, aut saltem non credere articulum verum. Contra 2. quia gratis omnino, & præcisè ut positum tuatur, negat, quòd Hæreticus eo instanti, quo suum errorem credit, careat potentia proximâ assentiendi articulo vero, alias fides non erit immediatè libera libertate contrarietatis. Licet autem P. Thyrsius hoc concedat, gratis tamen: cur enim conveniat libertas contrarietatis immediata omni-

omnibus alijs virtutibus; non autem fidei? nam temperans, obediens, amans habet simul duplicem potentiam proximam non tantum contradictionis ad temperantiam, & non temperantiam; ad intemperantiam, & non intemperantiam, (idem dicatur de aliarum virtutum actibus) sed etiam contrarietatis; eo enim instanti, quo est proximè liber ad temperantiam, est simul proximè liber ad intemperantiam, cum libertas sit duplex potentia proxima ad extrema contradictoria, si sit contradictionis; vel contraria, si contrarietatis. Si ergo in alijs virtutibus datur in nobis non tantum libertas proxima contradictionis ad utrumque contradictorium divisim ponendum, sed etiam contrarietatis ad utrumque extremum contrarium divisim ponendum; cur negabitur fidei? Ergo Hæreticus eo instanti, quo credit suum errorem, non tantum habet libertatem proximam contradictionis, ut assentiatur, & non assentiatur suo errori; sed etiam habet libertatem proximam, ut assentiatur suo errori, & assentiatur articulo vero; & ideo est formaliter Hæreticus, quia potens proximè assentiri articulo vero, proposito ei, ut unice evidenter credibili, assentitur potius suo errori cognito ut evidenter prudenter incredibili.

N. Contra 3. quia nullus dabitur Hæreticus in se formaliter, sed tantum in causa, quatenus ex voluntaria cecitate considerare non vult evidentiam credibilitatis nostræ fidei. Contra 4. quia Hæreticus non tantum carebit libertate immediatâ contrarietatis ad assentiendum articulo falso, & articulo vero divisim, ut concedit P. Thyrsus, sed etiam libertate immediatâ contradictionis, quod negat. Sequela probatur; quia implicat potentia proxima ad non assentiendum errori, nisi non assensus erroris, seu non error proponatur ut longè probabilior; (nam, juxta P. Thyrsium, intellectus non potest moveri, nisi à motivo longè probabiliori, nec potest amplecti minus probabile;) sed implicat, ut dum error representatur Hæretico, ut evidenter credibilior, non tantum articulo vero, (qui tunc, vel non proponitur, vel proponitur ut longè minus verisimilis) sed etiam non errore, idem non error proponatur eidem Hæretico, ut evidenter credibilior: ergo implicat, ut tunc datur potentia proxima ad non assensum erroris, seu ad omissionem erroris: sed si non habet potentiam proximam ad omissionem erroris, non habet libertatem immediatam contradictionis ad assensum erroris, & non assensum erroris, seu ad omissionem assensum.

Tom. I.

sus erroris; ergo non habet libertatem immediatam contradictionis ad assensum erroris, & non assensum erroris.

Contra 5. quia sicut hæresis, ut immediate dixi, non est libera Hæretico, ne quidem libertate immediatâ contradictionis; ita fides non tantum non erit libera libertate immediatâ contrarietatis viro Catholico, quatenus Catholico, cui nostra fides proponitur ut evidenter unice credibilis, eo ipso articulus falsus proponitur eidem ut prudenter incredibilis; sed ne quidem fides erit libera Catholico libertate immediatâ contradictionis: si enim fidei mysteria, etsi obscura, proponuntur ut evidenter credibilia, & approbabilia, eo ipso omisso actus fidei proponitur ut inapprobabilis, & ineligibilis: sed intellectus, per P. Thyrsium, non potest eligere ex voluntatis imperio extremum minus approbabile, & minus verisimile; ergo eligere non potest omissionem actus fidei: ergo Catholicus non est liber libertate immediatâ contradictionis ad actum, & non actum fidei, si habet evidentiam credibilitatis de nostra fide. Quod autem fides sit libera non tantum negativè, ut docet Scotus, Scotus putans satis esse, ut voluntas non resistat, non autem requiri, ut imperet intellectui positionem actus fidei, sed etiam positivè, non tantum libertate contradictionis, sed etiam contrarietatis, docet Tridentinum

sess. 6. cap. 4. dicens: *Libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt.* Tum quia decimasexta damnata negat dari speciale fidei præceptum: datur igitur speciale fidei præceptum: sed præceptum non est circa quid necessarium, sed circa actus liberos: ergo &c. Tum quia hoc clarè exprimit S. Thom. 2. 2. qu. 2. art. 4. dicens: *Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter movetur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntatis declinans in unam partem magis, quam in aliam, & si quidem hæc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio: si autem sit cum certitudine, & absque tali formidine, erit fides.* Tum quia decimanona ex damnatis est, *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium;* potest igitur voluntas hoc efficere: ergo ex S. Thom. potest intellectus ex voluntatis imperio declinare in unam præ aliâ parte; & ex Innoc. XI. voluntas facere potest, ut assensus intellectus firmior sit, quam motiva: sed si intellectus necessitatur physicè ad magis probabile, inutilia sunt, tum imperium voluntatis, quo in unam præ aliâ parte declinet, nam tenetur

Ggij

assenti-

assentiri probabiliori; tunc conatus voluntatis, ut intellectus firmitus assentiat, quam sint motiva, nam maior firmitas haberi non potest, quam necessitas sit: ergo intellectus non necessitatur physice ad magis probabile, immo est liber, ut sequatur magis, vel minus probabile.

N. Falsum quinto, quod Hæreticus rogatus, 413. cur suæ sectæ, non nostræ fidei assentiat, dicturus, quia ea secta apparet ei verisimilior, & nostra apparet ei falsa. Sed contra, tunc quia si hoc dixerit, mentietur; si enim non mentiretur, puniri non posset ullus Hæreticus, vel Apostata à fide, nemo enim puniri potest ob impossibile: sed Hæretico impossibile est assentiri articulo vero, quia sua secta proponitur sibi ut omnino certa, ut loquitur P. Thyrsus n. 26. & nostra fides ut falsa: ergo nec potest puniri, quia suam non deserit, nec quia nostram non amplectitur, nec quia postquam nostram amplexus est, à nostra recessit. Tunc quia do, quod ita respondeat, & quod non mentietur, fides illi Hæretico non erit libera, immo necessario erit Hæreticus. Tunc quia tantum abest, ut

P. Thyrs. Hæretici (loquor de illis, quorum ignorantia nostræ fidei non est invincibilis, sed vincibilis) ita respondeant, quin, ut longè mihi constat experientia, respondere solent, se suæ sectæ adhærere, non quia vera appareat, & nostra fides falsa, sed quia Maiores sui eam secuti sunt, & quia ita convenit ob fines politicos, & naturales commodi, & honoris; & quia indulget magis pravis concupiscentiæ motibus.

N. Falsum sexto, quod peccatum infidelitatis non consistat in eo, quod cognitâ evidenti credibilitate mysteriorum, Infidelis illis dissentiat, & quod S. Thomas hoc dicat. Sed contra; quia ut legi, quæ S. Thom. dicit, video inferri evidenter oppositum ejus, quod intulit P. Thyrsus: nam per S. Thomam *peccatum infidelitatis consistit in contrarietate* (utique libera) *ad fidem*: ergo (infero) datur in Catholico libertas contrarietatis: (idem dicito de Hæretico) sed cum doctrinâ P. Thyrsi negantis intellectum posse assentiri minus probabili, non datur, ut fatetur, libertas immediata contrarietatis: ergo non datur immediatè peccatum infidelitatis; vel si datur, potest intellectus, stante propositione objecti evidenter prudenter credibilioris, assentiri minus credibili. Deinde rogo, quæ consequentia sit, ex eo quod S. Th. dicat peccatum infidelitatis consistere in contrarietate ad fidem; quâ vel repugnat auditui fidei, vel eam contemnit, inferre, quod neget peccatum infidelitatis confi-

tere etiam in hoc, quod quis auditâ fide, & propositâ ei ut evidenter credibili, eam non amplectatur, aut amplectatur oppositum? Ut enim contra virtutem Chantatis dantur plura peccata specie diversa, nam aliud est murmuratio, aliud homicidium, aliud scandalum, aliud iudicium temerarium; ita contra fidem dantur plura infidelitatis peccata specie diversa, ex. gr. eam non audire, auditam contemnere, ei non assentiri, ei dissentiri, de eâ dubitare; non autem necesse fuit D. Thomæ numerare omnes species subalternas infidelitatis, ut ostenderet, in quo stet peccatum infidelitatis. Addo, quod dum S. Thom. dicit, *vel contemnit fidem*, eò ipso supponit esse auditam, adeoque propositam ut debet: sed nemo contemnit fidem actu contrario, quàm assentiendo positivè articulo falso: ergo stante evidenti credibilitate fidei, potest ex D. Thom. elicere quis assensum circa articulum falsum. Nota autem quod P. Thyrsus rogatus, cur non possit aliquis propositâ sibi evidenti credibilitate nostræ fidei amplecti intellectualiter aliam sectam, semper petit principium, quia intellectus non potest amplecti minus verisimile. Ex quâ doctrinâ P. Thyrsi sequitur, quod nullus Catholicus poterit esse Hæreticus; & nullus Hæreticus fieri Catholicus; sed eo instanti, quo quis Catholicus est, sit necessario necessitate antecedenti Catholicus, quatenus pro priori ad actum fidei Divinæ supernaturalis caret potentiâ proximâ expeditâ ad actum hæresis; & eo instanti, quo quis Hæreticus est, erit necessario necessitate antecedenti Hæreticus, quia pro priori ad hæresim caret potentiâ proximâ expeditâ ad actum fidei Divinæ. Quare ad summum Catholicus poterit potentiâ antecedenti non esse Catholicus; & Hæreticus potentiâ antecedenti non esse Hæreticus. Immo ne quidem talem libertatem contradictionis Catholicus, & Hæreticus habebunt, ut dixi, quia non credere mysteria nostræ fidei proponitur Catholico ut minus approbabile; & non credere sectam falsam, proponitur Hæretico etiam ut minus approbabile: & contra, credere nostra mysteria, proponitur Catholico ut evidenter approbabile; & credere sectam falsam, proponitur Hæretico etiam ut evidenter approbabile: sed juxta P. Thyrsium, intellectus necessitatur necessitate antecedenti ad id, quod est longè verosimilius, & ad omittendum, quod est minus verosimile: ergo Catholicus necessitate antecedenti necessitatur credere nostra mysteria, ita ut non possit non credere illa; & Hæreticus necessitatur necessitate

necessitate antecedenti credere suam sectam, ita ut non possit non credere illam, seu omittere actum fidei circa illam.

N. 417. Falsum septimò Hæreticum non habere potentiam proximam credendi nostram fidem, nec Catholicum credendi errorem. Contra enim est; quia satis efficaciter probavi hanc potentiam proximam; & qui capit, quid sit libertas voluntatis ad amorem, & non amorem, quæ est contradictionis; ad amorem, & odium, quæ est contrarietatis, videbit, quod omne, quod constituit in esse liberi actum primum proximum ad amorem, idem omnino constituere debet in esse liberi actum primum proximum ad odium; qui, inquam, hæc capit, dicere debebit, quod idem sit actus primus proximus ad actum fidei libere, ac sit actus primus proximus ad hæresim. Porro probavi fidem esse liberam immediatè libertate contrarietatis, ut aliæ virtutes; immò si eà libertate non gaudet, nec erit libera libertate contradictionis. Probavi autem, tum paritate aliarum virtutum, tum quia omnis Hæreticus erit necessariò talis; immò repugnat, ut sit formaliter culpabiliter Hæreticus, nisi resistat eo instanti cognitioni trahenti ad fidem, & proponenti illam ut evidenter credibilem, & ut præceptam: ergo ut sit culpabiliter Hæreticus, debet eo instanti pro priori ad actum hæresis proponi nostra fides ut evidenter credibilis, & ut præcepta à Deo. Tum quia non nisi gratis negatur hæc doctrina petendo principium, & dicendo, quod intellectus non possit assentiri firmiter objecto minus veritabili; potest enim firmitate derivatà à voluntate, qualis est firmitas conveniens falsæ fidei Hæreticorum; non à firmitate derivatà à lumine, & principio supernaturali, quæ est certus actus fidei Catholicorum. Confirmatio confundit evidentiam credibilitatis de locutione Dei cum evidentia locutionis Dei; qui enim nostræ fidei motiva penetrat, habet quidem evidentiam credibilitatis de locutione Dei; non autem evidentiam locutionis Dei, adeoque non cognoscit evidenter, quod Deus sit Author fidei: & nego consequentiam; ad probationem distinguo: implicat, ut quis amplexatur ut certum certitudine ortà à solâ voluntate id; quod evidenter cognoscit esse incredibile prudenter, imprudenter tamen credibile, nego; certitudine ortà à lumine, & à principio supernaturali, concedo. Certitudo Hæretici est purè voluntaria sine omni prudenti fundamento, & est pertinacia contra veritatem cognitam evidenter ut unice prudenter credibilem.

Tom. I.

Falsum octavò actum fidei non esse liberum libertate contrarietatis. Contra enim est, quia si non est liber libertate contrarietatis, nec est liber libertate contradictionis, nec eget imperio efficaci voluntatis; intellectus enim Catholici considerantis motiva nostræ fidei, quæ reddunt evidenter credibilem veritatem eorum; & simul considerantis motiva sectæ oppositæ; intellectus, inquam, Catholici positus inter evidenter credibile, & evidenter incredibile prudenter, non potest nō assentiri, juxta P. Thyrs. nostræ fidei, ut evidenter longè credibiliori, quia intellectus non potest assentiri nisi credibili; ergo non eget, ut credat, efficaci voluntatis imperio; ergo fides non est meritoria. Quod si dixerit, esse liberum credere, & non credere fidem, licet non sit liber credere fidem, & credere oppositum; contra est, tum quia tantum meriti tollitur à fide, quantum tollitur libertatis: ergo cum fides non sit libera immediatè quoad contrarietatem, fides caret merito derivato à libertate contrarietatis, quæ est præcipua libertas: cur autem fidei negetur meritum, quod datur Spei, Charitati, & omni virtuti morali, quæ fundatur in fide? Tum quia nulla erit Catholico difficultas in amplectendâ fide, si non habet, nisi libertatem exercitij, cum enim tanta, & talia motiva habeat, quæ generant evidentiam credibilitatis nostræ fidei, sanè nulla erit difficultas in eâ credendâ, etsi sit obscura, cum nullum adsit motivum retrahens, & inclinans ad credendum oppositum, quia hoc, juxta P. Thyrs. est impossibile; nullum etiam retrahens à non credendo: ergo admittâ solâ exercitij, seu contradictionis libertate, vix datur meritum in Catholico; tum quia pro suspensione actus fidei nullum habet motivum, immò si aliquid habet, vel est validius motivo inclinante ad credendum, vel est æquale, vel minus? Si motivum pro non credendo est minus motivo inclinante ad credendum, non potest omittere actum fidei; si est maius, non potest elicere actum fidei; si est æquale, nec potest liberè elicere, nec liberè omittere actum fidei. Demum contra hæc omnia est, quod sicut non datur peccatum infidelitatis propriè tale, si intellectus non potest physicè assentiri objecto cognito ut minus credibili, sed datur tantum infidelitas causalis, quatenus id, quod est causa, nè Infidelis motiva nostræ fidei consideret, est juxta P. Thyrs. peccatum infidelitatis, quod sine dubio gratis dicitur: ut enim datur homicidium, furtum propriè talia, & non nisi impropriè causa homicidij, & furti dicuntur

Gg ij furtum,

furtum, & homicidium; ita à pari dari debet peccatum infidelitatis propriè tale, & non nisi impropriè causâ infidelitatis dicitur peccatum infidelitatis: ita nec dabitur virtus fidei Theologicæ liberè propriè talis, sed ipsa libera applicatio proponens ea motiva, ita ut pariant evidentiam credibilitatis fidei, erit libertas actus fidei, & fides.

N. 420. Ad ea, quæ contra paritatem iudicij temerarij trahit; dico plurima ex dictis, contra ea, quæ adducit contra peccatum infidelitatis, petenda esse.

N. 421. Primo, si temerè iudicans habet semper motivum respectu sui grave, non datur iudicium temerarium, immò omnis temere iudicans prudenter iudicat, etsi imprudenter cognoscat motiva, quia tale iudicium nititur motivo longè graviori, quàm sit motivum oppositum pro iudicio de bonâ famâ proximi; sed tota temeritas erit in passione, quæ est causâ, ut motiva ex se levia appareant longè graviora motivo pro iudicio de bonâ famâ proximi.

N. 422. Secundo, non dabitur peccatum formale iudicij temerarij, nec hoc erit in se formaliter peccatum, sed tantùm in causâ, quia intellectus tenetur, juxta P. Thyrium, assentiri motivo longè graviori suo opposito; sine jure autem negabitur dari peccatum formale in se tale iudicij temerarij, cum dentur alia mortalia in se talia contra charitatem, ut homicidium, scandalum &c. Similiter sine jure dicitur, quod iudicium nixum motivo longè graviori, si motivum ex passione tale appareat, sit temerarium, in rigore enim est valdè prudens, etsi supponat malam radicem.

N. 423. Tertiò iudicium temerarium numquàm poterit esse in se peccatum, quia in se non est liberum; nam intellectus non est tunc liber, ut bene iudicet de proximo, cum motivum hujus iudicij sit juxta P. Thyrs. minus verisimile; ergo nec est liber, ut malè iudicet, cum libertas sit perfectâ potentia ad utrumque extremum. Nec recurratur ad libertatem contradictionis; nam si intellectus non habet libertatem contrarietatis, quatenus necessario tenetur elicere iudicium nixum maiori motivo, nec potest elicere nixum minori; neque erit liber libertate contradictionis, seu iudicare temerè, & omittere iudicium temerarium; nam intellectus pro iudicio temerario eliciendo habet plura motiva gravia inclinantia ad hoc iudicium; pro suspensione autem nullum habet; ergo non est liber credere temerè, & non credere temerè; ergo non est liber libertate contradictionis.

Quartò, quia doctrina, quam trahit ex S. Thom. quod iudicium temerarium sit, cum quis pro certo æstimat malitiam alicujus ex levibus indicijs, est evidenter contra P. Thyrsium; si enim est ex levibus, ergo non est ex gravibus, & sine jure tò levibus indicijs interpretatur levibus in se, iudicanti tamen valdè gravibus; nisi velit quod S. Thom. per leve intellexerit grave, ita ut in definitione iudicij temerarij oppositis prius verbis usus fuerit, sumendo leve pro gravi. Addo quod S. Thom. dicit tunc adesse iudicium temerarium, cum quis pro certo æstimat malitiam alicujus ex levibus indicijs; ergo illa indicia sunt levia respectu iudicantis: ergo non potest dici nisi contra S. Thom. quod ea sint levia in se, at iudicanti sint gravia. Nec contra hoc objici potest; nisi petitio principij, quod repugnet, ut intellectus iudicet pro certo aliquid ex levibus indicijs; hoc enim probari debet; nam ea certitudo oritur à sola voluntate, & est purè affectiva, non autem intellectus; ergo etiam repugnet, ut quis certo certitudine intellectuâli iudicet ex levi motivo, non tamen certitudine purè affectivâ; ergo potest intellectus certo certitudine affectivâ assentiri levi motivo, stante opposito motivo unice prudenter approbabilis; ergo poterit etiam prudenter assentiri ex motivo minus, certo tamen probabili, stante opposito probabili. Similiter est petitio principij, quod intellectus non possit assentiri firmè firmitate affectivâ objecto minus evidenter verisimili, immò in hoc stat peccatum iudicij temerarij, quatenus sine gravi ratione pro certo iudicat proximum esse malum, stante motivo unice gravi pro bonâ opinione proximi. Demum, quod trahit de advertentiâ, est etiam petitio principij.

Quintò, confirmatio evidenter retorquetur: si enim iudicans temerè, iudicat malum de proximo ex motivo sibi longè graviori, eò ipso temerè iudicans infert, & relâcit injuriam proximo; infert, quia taliter iudicans, temerè iudicat, ut vult. P. Thyrsus; relâcit, quia iudicans ex motivo sibi valdè gravi, iudicat prudenter, & habet opinionem de proximo, quam meretur juxta motiva, quæ habet iudicans. In formâ nego, quod cognoscens se temerè iudicare, relâciat per hanc cognitionem proximi famam; alias cognoscens se murmurare, se occidere, restitueret famam, & vitam proximo, & cognoscens se peccare, restitueret injuriam illatam Deo per peccatum; ergo non satis est, ut cognoscat se temerè iudicare, sed debet saltem deponere temerarium iudicium, aut assumere.

assumere iudicium prudens de bonâ proximi famâ, ut injuriam refarciat.

Sexto, fateor temeritatem oriri ex passione: at quid inde? nam plura alia peccata oriuntur a passione, nec delinunt esse formaliter peccata in se, etsi in eâ passione sint tantum casualiter peccata. Itaque præter passionem, quæ est occasio iudicii temerarij, assignanda est propria malitia formalis iudicii temerarij distincti a malitia passionis. Per nos autem est, quod illud iudicium nitatur motivo cognito ut sufficienti, stante motivo unice prudenti pro famâ proximi: nihil autem tale potest assignare P. Thyrsius, iuxta quem tota malitia iudicii temerarij refunditur in passionem, quæ facit, ut motivum in se leve appareat valde grave, posita autem hæc apparentia, nulla est in iudicio temeritas, quia nititur motivo respectu iudicantis valde gravi; nulla etiam culpa, quia iuxta P. Thyrsium intellectus non est liber assentiri motivo minus probabili itante pro bonitate proximi.

Septimo, S. Thomâs iterum adductus est evidenter contra P. Thyrsium quia dicit, *malum opinatur*, opinari autem non est pro certo tenere malum; & tamen P. Thyrsius vult, quod temerè iudicans teneat pro certo proximum esse malum. Tum quia S. Thom. ait, quando quis odio habens, aut invidens proximo, *ex levibus signis opinatur mala de ipso*: ergo dicere, quod odium, & invidia faciant temper, ut signa levia appareant gravia, ut dicit P. Thyrsius est aperte contra S. Thom. Tum quia dicere, quod iudicans ex invidia, irâ, contemptu, malum de proximo iudicet ex signis gravibus, est etiam contra S. Thomam, qui ait, hominem ijs passionibus malè affectum iudicare temerè ex levibus signis.

Octavo, obvia est aperta contradictio, nam hic *cap. 2. §. 3.* ait, motivum iudicii temerarij apparere temerè iudicanti longè veritabilius opposito motivo pro iudicio prudenti de bonâ proximi famâ; & tamen *cap. 3.* sui quasi oblitus *n. 53.* ait, esse temerarium, & imprudens iudicium nixum motivo minus probabili, stante opposito probabili: & *n. 56.* idem repetit; & ex hoc infert nullum nostrum argumentum esse, quod qui operatur secundum opinionem minus probabilem operetur prudenter; vult enim, quod temerè, & imprudenter operetur; ergo supponit, & asserit esse temerarium iudicium nixum motivo minus probabili, stante opposito probabili. Demum mentem S. Thom. vide supra a *n. 294.*

Argumenta, quæ contra nos trahit, *sect. sequ.* solvantur.

S E C T I O VI.

Solvuntur adversa argumenta.

S. I.

Argumenta M. Mercori, & M. Baro.

S U M M A R I U M.

Quia intellectus stans inter motiva equalia est dubius, & quasi ligatus, ait Aristot. n. 430. Solvendum a Contrarijs ob multiplicem instantiam, n. 431.

Paritas statere est contra eosdem, n. 432. 433. Aristot. & S. Thomas volunt intellectum non posse a se determinari, posse a voluntate, n. 434.

Implicat, ut intellectus dubitet simul, & opinetur, n. 435. 436.

Dubium est suspensio omnis assensus, DD. ibid. Arguit, quia implicat, ut quis opinetur, quod æque appareat verum, ac falsum: trahunt paritatem iudicis, navis, cibi, n. 437. 438. Solvo: paritas iudicis nimis, alia nihil probant, n. 439. 440.

Iudicium non mutat essentias rerum physicas, mutat morales, n. 441.

Arguit, quia non est maior ratio pro assensu, & quia voluntas inter bona equalia non potest eligere, & multò minus eligere minus, n. 442.

Solvo, voluntas potest ex diverso motivo impetare assensum, n. 443.

Motiva assensus, & dissensus sunt semper diversa, suse, n. 444.

Tunc resolutivum non tam se tenet ex parte intellectus, quam voluntatis, n. 445.

Voluntas inter bona equalia diversa potest æquale, & minus eligere, n. 446. 447.

DD. tuentes, quod voluntas inter similia bona possit eligere æquale, aut minus, n. 448.

Ut voluntas eligat unum præ alio, non est necesse, ut detur ex parte objecti illud præ, sed satis, ut per ipsam electionem præferat exercere hoc illi, ibid.

Ait Palanco, posse voluntatem, quia utrumque est bonum, non posse intellectum, quia unum est falsum, n. 449.

Convenit voluntati libertas inter equalia, vel inæqualia bona, dummodo diversa: cur? n. 450.

Rejicitur disparitas, nam sicut objectum voluntatis est bonum, vel reale, vel apparens; ita intellectus est verum, & verisimile esse ejusdem facultatis, n. 452.

Ut intellectus iudicet, satis, ut habeat motivum, non autem ut maius, 454.

Arguit, quia opposita probabilitates se mutuo impediunt, n. 455.

Licet